

**Oratio de ortu et progressu medicinae. Cum in Academia Lugduno-Batava
medicinae theoretico-practicae professionem. Die 19. Octobris 1702.
auspicaretur / [Bernhard Albinus].**

Contributors

Albinus, Bernhard, 1653-1721.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Jordanum Luchtmans, 1702.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/akgxra58>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



442

58, 040/3 Supp.

Norwich & Norfolk
UNITED MEDICAL BOOK SOCIETY,
Library Room, Museum,

OPEN FROM 10 O'CLOCK A. M. TO 5 O'CLOCK P. M. DAILY.

Pamphlets and Periodical Works may be kept one week—Octavos two weeks—Quartos and Folios three weeks, not including the days of receipt and transmission:—and a fine of twopence per day shall be incurred by exceeding the period of retention. Country members may however avail themselves of the first conveyance, within a week, after the period of keeping a book shall have expired, without incurring a fine.

Members may have any two books, or any set of books, on application to the Librarian, such members defraying the expense of postage and conveyance.


Members shall be answerable for such books as may have been lost, or for any damage they may have sustained while in their respective possessions.

Printed by Josiah Fletcher, Norwich.



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30506475>



Presented by the Executors
of the late Dr. Manning.

Orationum Professoribus Leydentesibus editarum
Argumenta

De ortu & progressu Medicinae -	Bernh. Albinus 1702
De incrementis et statu artis medicae 1700. saeculi -	Do 1711
De iis, que medicum praeципue scire oportet	Herm. Oosterdyk Schacht 1719
De Firmitate artis medice	Do 1722
De Medico Exercitato	Do 1723
De Anatomie comparata	Bernh. Siegfried Albin. 1719
De via vera ad cognitionem fabrica Corporis Humani	-1721

Index Supellectilis Anatomicae quam legavit. I. J. Raw

Accedunt orationes duo Professorum apud Ottomagd. ad Rhen.

De Anatomie prudente Erroris in Medicis - Christian. Bernh. Albinus. 1723
De Certammodo Philosophia experimentalis . . . P. van Musschenbroeck - Do

BERNHARDI ALBINI,
Sacræ Regiæ Majestatis in Borussiâ Consiliarii
Aulici & Archiatri

ORATIO

DE
ORTU & PROGRESSU
MEDICINÆ
CUM


In Academia Lugduno - Batava Medicinæ
Theoretico-Practicæ professionem.

Die 19. Octobris 1702.

Auspicaretur.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JORDANUM LUCHTMANS, 1702.



312458



*PER ILLUSTRIBUS & GENEROSISSIMIS
ACADEMIÆ LUGDUNO-BATAVÆ*

**CURATORIBUS:
DN. JACOBO BARONI
WASSENARIAE**

Toparchæ Opdamii , Hensbroek , Wochmeer ,
Spierdijk , Zuydwijk , Kernchem , Twikelo , Lage
&c. Illustris in Hollandiâ Nobilium Ordinis , &
aggerum Rhenolandicæ Præfecturæ Assessori &c.
Equitum fœderati Belgii Magistro , Oppidorum &
Arcium variorum Gubernatori. Ad diversos Eu-
ropæ Reges & Principes nuper Legato Extraor-
dinario &c. &c. &c.

**DN. HUBERTO ROOSEN-
BOOM**, Toparchæ in 's Grevelsrecht &c. Jcto.
Supremæ Batavorum Curiæ Præsidi &c. &c.

**DN. HENRICO à BLEYS-
WYK**, Jcto. Consulari apud Delphenses Viro.
Præpotentum D. D. Ordinum Fœderati Belgii &
Societatis Indiæ Orientalis , Assessori , &c. &c.

EO-

EORUMQUE COLLEGIS
PRÆ NOBILISSIMIS ATQUE AMPLISSLIMIS
INCLYTÆ REIP. LUGDUNENSIS

C O N S U L I B U S

D. DANIELI van ALPHEN, Jcto.
Consulum h. t. Præfidi.

D. GERHARDO MEERMAN , Jcto.
Academiæ Quæstori.

D. JOHANNI vanden BERG, Jcto.
Illustrissimi Curatorum confessus Actuario.

D. JUSTO van HEEMSKERCK, Jcto.

*Hanc Orationem sacram
facit*

BERNHARDUS ALBINUS.

BERNHARDI ALBINI
ORATIO
INAUGURALIS
DE
MEDICINÆ
ORTU & PROGRESSU.

La est plantarum indeoles ut in solo natali proveniant sponte , adolescent facili , germinent ubertim , fructus ferant delicatissimos , perennent & ultimam ferant senectutem , nec nisi cum præsentissimâ jacturâ blandiori etiam cœlo , aut uberiori glebæ evulsæ denuo committantur ; periculo tanto magiore , quo major est ætas quam habent & textura constantior ; nec radices agent nisi ramos præscideris & cum radicibus terram gelu coactam evulseris . Licet cœli solique

A

que

BERNARDI ALBINI,
que bonitas consuetudinem sterilis terræ
suppleat ut cum fructuum proventu luxu-
rient, vix tamen ætatem ferunt & fructus in-
tantum degenerant ut ultimi à primis di-
stent quantum æra lupinis. Nec ubertas soli
omnibus convenit, arenosæ enim & sterili
terræ balsamum debemus. Alia non est
animantium conditio, illa quævis terra
promiscuè non alit: sunt quæ cœli non
ferunt inclem tam, & sub polis nata non
sine ultimo periculo æquatori appropin-
quant. Rangiferos frigus adurit arcticum
& vivunt, eosdem temperatus aer interi-
mit; sustinentur musco neglectis prato-
rum deliciis; unde aliis morbi iisque pe-
jor mors; inde his cibus, & medicina. Adeò
sua cuique constat temperies & mutatio est
periculosa! Quæ plantarum, quæ animan-
tium, eadem hominum, animorum &
studiorum ratio est; transeunt cum regio-
nibus in multiplices habitus & vultus, alii
in barbariem nascuntur, animis alii man-
suef-

ORATIO INAUGURALIS.

3

suefcunt; cum nativitate patriæ habitus in-
generantur, illaque vis, quam patrio so-
lo sua fata diviserunt, inconcussa hæret, &
virtutes, vitia, studia, quæ hæreditario
jure sancita sunt, æterna sunt; marcescunt
& languent si mutari se sentiant, ægrè aliam
disciplinam ferunt aliisque moribus assue-
scunt. Quæ cum ita esse intelligam ne-
scio quâ mei fiduciâ salum, solum, vitæ
& studiorum genus mutare ausus sim, cum
eâ sim ætate & illi vitæ studiorumque ge-
neri assueverim quorum mutatio extrema
mihi portendit pericula.

Non commemorabo quid valetudini
meæ totius diætæ mutatio officere possit,
ne quis mihi occinat; cura te Ipse. Nec
animi ægritudinem cum me à Parentibus,
confanguineis, agnatis aliisve, qui cum
longissima mihi intercessit confuetudo, re-
motum cogito, ne de vicario vestro amore
A. O. O. H. dubitare videar. Non sedem
terramve patriam & quid spei reliquerim,

A 2

cum

4. BERNARDI ALBINI,
cum mihi h̄c benē fore sperem & patriam
inter exterōs mihi promittam. Illud tamen
commemorare debo, me prorsus ancipi-
tem esse quid de Munere Professorio even-
turum sit, & quomodo spem, quam susti-
neo, sim impleturus. Utut enim in hoc
studii genere hospes non sim, vereor tamen
ne mihi idem, quod candelæ ad solem, eve-
niat, ægre ad tantum fulgorem illa se susti-
net, & in ipso lumine extinguitur, aut extin-
cta creditur, ut nec ego, eo loco con-
stitutus ex quo tot & tanta medicinæ
lumina totum literarium orbem suā e-
ruditione & divinā medendi arte illustra-
runt, apricationem feram, talisque visus
fuissem, qualem me esse vultis, si latuissim.
Id unicum me bono animo esse jubet,
quod in Regiâ, quæ Francofurti cis Via-
drum est, Universitate Medicinam tria, &
quod excurrit, lustra professus fuerim, nec
labores Collegis meis, Viris toto orbe Ce-
leberrimis, displicuerint, & juventutem

stu-

ORATIO INAUGURALIS.

studiosam solitò frequentiorem allegerint; hinc animo meo fiducia oritur, & Vos studia mea benignè esse habituros, labores etiam meos usui studentium cessuros; Vestram benevolentiam, quod mihi deest, suppleturam, nec, ut damna, quæ mutationem sequuntur, mihi officiant, permisuram. Vereor ut ista mutatio mihi noceat, cum intra quinquennium altera sit, nec dum prioris vulnera occalluerint, quod nisi fuisset animo minùs distracto vos accessissim.

Ultimum vale academicis dixeram studiis, aliam vitam aliosque mores amplexus nihil minus cogitabam quam quod modo evenit. Erat Serenissimi Borussorum Regis ea erga me clementia, ut me nullo meo merito ad se evocaret, suæque valetudinis, in quâ tot gentium & populorum spes stantque caduntque, curam committeret. Sedibus meis, in quibus tranquillè latueram, excitus, omnium expectationi expositus, totus in eo eram ut tam prolixæ spei responderem.

6 BERNARDI ALBINI,
derem. Hic idem mihi quod in altum
navigantibus evenit, unicè polum eorum
pyxis nautica respicit, dum ventorum aqua-
rumque procellis jactati è longinquo alios
vident, sæpe nescii accedant vel recedant,
cujates sint dubii, quid rerum intus agatur
penitus ignari: Ita & Ego toto quinquennio,
quod in aulâ exegi, omnem curam in vale-
tudine regiâ consumpsi, nec nisi è longin-
quo remp. literariam intuitus sum; imo vix,
distractus perpetuis itineribus, eruditorum
monumenta inspexi. Sentio jam idem mihi
quod è longinquo itinere fessis & immanni-
bus fluctibus jactatis evenire, ignorant illi
continentis acta & jactari sibi usque viden-
tur ut vix consistant. Succuti mihi videor
cum in vestrum portum me recipio, quid
interea in re literariâ sit actum incertus sum.
Sed spes mihi est hos motus sedatum iri,
ego certe nihil inexploratum prætermis-
sus sum. Hoc fretus Per-Illustrium & Ge-
nerosissimorum Dominorum Curatorum

de-

ORATIO INAUGURALIS.

desiderio assurrexi , nihil non agam ut illo-
rum voto respondeam ; illud vicissim preca-
tus , ut , quod eruditioni meæ decesserit ,
benevolentia suppleant.

Quod igitur felix faustumque esse jubeat
summum Numen in Excellentissimâ hâc pa-
nagyri munus meum brevi discursu pris-
cam & hodiernam medicinæ faciem deline-
aturus , ut constet , quæ fuerint ejus primor-
dia , qui progressus , quis status & quid poste-
ritati relinquatur , initiabo .

Breviter dicentem ut vestro favore profe-
quamini id est quod obnixè rogo .

Ars medendi hominibus coæva cum ge-
nere humano in universali mundi catacly-
smo eandem , imò graviorem subiit pœnam ,
omnis ejus memoria in naufragio isto
periit & penitus intercidit , ut ne conjectu-
rà , qualis fuerit , aslequamur : deletum est
cum peccatoribus pœnarum solarium , qua-
si Deus nihil extare voluisse ex quo de ho-
minum malitia constaret .

Non

Non equidem legitur ægrotasse homines, quin potius longævitas illorum firmæ sanitatis argumentum est. Fieri tamen non potuit quin tot seculis, in illa hominum multitudine, in illo perverso vivendi modo labem passa sint corpora, diaetæ culpam dederint, injurias mutuas fuerint ulti & gravissimorum laborum, ad quos maledictione divinâ damnati erant, damna sint experti. Ratio & casus necessitati humanæ sinè dubio prospexerunt, quæ suffulta tot annorum non interrupta observatione & experientia maximos progressus fecisse debuerunt. A quibus enim facilius in artem redigi posset medendi peritia quam ab iis qui aliquot secula vivendo exhauriunt? Medicinæ autor Apollo priscorum hieroglyphico barbâ promissa, quam dextrâ prehendebat, sinistrâ baculo cum serpente fultus variis pedibus advolutis pyxidibus, quibus longam experientiam, sedulam & prudentem attentio nem remediorumve delectum significabant,

ORATIO INAUGURALIS. 9

bant, pingebatur. Quæ cui quam Adamo
commodius applicueris? ad ejus enim pe-
des ipse Deus animalia, ut iis cum omni
plantarum genere sua nomina daret, ad-
duxit; cuius cum serpente pestifera con-
versatio uti morborum & miseriarum ori-
go est, ita perpetuo caduceo commissi
criminis memoriam conservat. Qui in
ipsâ nativitate rationis potens tot seculo-
rum ætatem adeptus si quis aliis experien-
tissimus, ab altera parte Hygæam, ab
altera Telephorum, ipsam mundi & me-
dicinæ infantiam habebat verus Apollo.
Artem nostram antediluvianis temporibus
extitisse ex antiquorum fabulis, in quas con-
stans traditio historiam medicam transfor-
maverat, colligas. Illam Noachidæ suis
tradiderant; cui, cum temporis progressu
varia creditu difficultia, ut ferè fieri solet,
si quid solâ vulgi memoriâ constet, jun-
gerentur, ut sua veritas constaret & defectus
eius supplerent, authores Deos fingebant.

B Quisque

10 BERNARDI ALBINI,
Quisque suos , quibus ante diluvium assue-
verat , medicos laudabat , eorumque in
suâ gente memoriam conservabat ; credi-
tum inde , prout majori zelo quisque suum
commendaverat , vel Deos , vel Deorum
filios fuisse , ut inter divos relati cœlo ad-
scriberentur omnes . Noah Bacchus , Cham
Hammon , Chanaan Mercurius ab iis ,
qui in fabulis fidem historicam quærunt ,
esse creduntur , quasi ideò inventores me-
dicinæ forent , quod ex naufragio universali
tabularum medicarum fragmenta servave-
rint . Sed quis medicinæ sciagraphiam ex
his daturus est ? Quis ultra conjecturas
progredietur ? Exultam esse conjicimus ,
plus ultra non datur .

Agedum igitur videamus quomodo
decurso tot seculorum variâ hominum in-
dustria paullatim resurrexerit , & in illam ,
quam tenemus , scientiam dicam an artem
adoleverit . Antediluviana medicina cum
Josephi columnis in abyssō est & sub im-
mensa

ORATIO INAUGURALIS.

11

mensâ aquarum mole sepulta jacet : sed
æquè fatalis illi toto tertio mundi millen-
nio fuit fabularum oceanus , & in illâ fa-
bularum vastitate nihil firmum , incer-
ta omnia & ubique longitudo est , nec
vellus hoc aureum peritisimus argonauta ,
vate etiam Phinea indice , reperiet ; nemo
tot seculorum syrtes evadet ; si let hic omnis
Dodonæa malus ; nullus Hercules hisce la-
boribus sufficit . Meræ sunt tabulæ Isidis qua-
rum hieroglyphicanoſ ſuſpenſoſ tenent . Di-
ſcas quidem Hermetem medicinam inveniſ-
ſe ex comite Hygæa ; ſacros ejus libros in
templis Ægyptiorum aſſervatoſ fuifſe ; legem
medicoſ ad horum præſcriptum adſtrinxiffę ;
hujus contemporaneoſ fuifſe Iſidem & Oſi-
ridem eorumque parentem Cronon , Me-
dicinæ expertiſſimoſ & Diūſ annumeratoſ
fuifſe ; ſcieſ Apollinem à matre Iſide refuſci-
tatum à mortuiſ & mortalium numero ex-
emptum fuifſe ; Æſculapium ab Hermete
medicinam didicieſle ; Prometheus pri-

15 BERNHARDI ALBINI,
mum medicamenta præparasse : sed fabu-
læ sunt, incertâ fide an unquam tales exti-
terint, vel sintne prosopopœæ & pro lubitu
ludentium poëtarum figmenta : sub his fa-
bulis si illam quæsiveris incertus fluctuabis.
Quo longius à Noachidarum temporibus
recesseris eo pauciora reperies , ferè enim
integro reliquo millennio mortua sub fabu-
lis sepulta jacet: Crediderim tamen & tunc
celebres vixisse medicos , nam fidem su-
perat homines medicinâ carere potuisse ,
vel caruisse ; de cæteris enim scientiis & ar-
tibus , iis etiam quibus indubie sunt usi , isto-
rum temporum altum ubique silentium
est. Nisi etiam expeditiones Argonautica ,
vel tot cladibus insignis Trojana , Græcorum
calamis celebratae fuissent forsan nec Chi-
ronis Centauri aut ejus discipulorum me-
moria extaret. Quanquam nec hic sibi à
fabulis Græci temperaverint; adeò mores se-
culi illos corrumpebant. Habent nempe
omnium seculorum ingenia suos morbos, ut

non

ORATIO INAUGURALIS. 13

non difficulter, quo seculo quis scripserit,
conjeceris. Studio etiam faciebant, ut sibi
suisque omnium scientiarum inventionem
vindicarent; hinc novos fingeabant Apolli-
nes novisque figmentis fabulas incrusta-
bant. Proprium scilicet est philautiæ ut
præ se vilipendat omnia & nihil rectum pu-
tet nisi quod ipsa fecerit! Hippocentaurus
esse debebat, quasi monstri rarer esset
scientia & communem sortem transiret;
non domum sed antrum. Pelii aspectu
horridum, ut sacra ars tanto venerabilior
esset, hic semi-deus inhabitabat; Non
alios quam Hercules, Jasones, Achilles ar-
tem suam docebat, ut ex auditorum digni-
tate illa Magistri magis inclaresceret. Quan-
tum ex illorum annalibus constat, Æscula-
pius primus omnium medicinam perfecit,
sed quæ de illo scimus quis sine mythologia
explanabit? Intuere fictionis continuationem
& res palam est. Fuit is filius Coronidis,
Phlegiæ Nepos, Hygææ Maritus, Pa-

ter Jasonis & Panacææ ; consule mythologos & disces , à sole ejusque influxu temperari ærem , valetudinem gigni optimam , & , sicubi fuerit læsa , illi facillime mederi , sub schemate fabulæ doceri . Facile mihi persuaserim omnes priorum temporum medicos sub Æsculapio intelligi : quis enim crediderit nulos à tot seculis ad grabatos clinicorum accessisse , cum naturâ homines ducantur , ut tantillam , quam habent , artis peritiam probent ; Quis fidem faceret Æsculapium quasi cœlo delapsum primum medicinam clinicam exercuisse , cum chirurgia , quæ eo usque maximam ejus partem fecerat , sine eâ non consistat ? Verosimile non est duostantum , alterum Ægyptium , Græcum alterum fuisse Æsculapios , cum non unius vel duorum sit artem invenire ; In Medicinæ partibus excelluere plures & quisque in suo genere fuit Æsculapius : quod plurimorum operâ paulatim in artem cöibat AEsculapiorum opus

men-

ORATIO INAUGURALIS.

15

per excellentiam Æsculapio tribuebatur, nec Ægyptus & Græcia modo, sed Phœnicia, Assyria & Chaldæa suam symbolam contulerunt: Diversa Æsculapio dedicata templo id evincunt. Cur Aulonius, Leutricus, Cortynius, Corilæus, Agnitas, cognominaretur? Cur alibi imberbem juvenem, alibi promissâ barbâ venerabilem senem, ostenderet, si unus vel duo saltem fuissent? Sacri Mercurii libri in delubris AEgyptiorum asservati, physiologiam, pathologiam, anatomen, pharmaceuticam complexi, apud AEgyptiorum antiquissimos illam exultam fuisse ostendunt. Quorum quanta fuerit industria ex eo constiterit, quod morborum species & auxilia ad delubra Deorum suspenderint, ægrotos in forum & compita exposuerint & legibus prætereuntes astrinxerint, ut manifestarent si quod huic malo auxilium scirent.

Sed interiit horum memoria, periit tantæ industriæ fructus! Pergit fabula: Ma-

chao-

BERNHARDI ALBINI,
chaonem saucium à sagittâ felle hydræ ler-
neæ tinctâ, quod Chiron Centaurus suâ ar-
te non poterat, Philocteten sanasse, ut sub
hoc pallio nobis constaret, progressus in ar-
te medicâ fuisse factos, & illos sanari mor-
bos quibus olim succumbebant. Videas de-
inde aliquot seculorum hiatus nullis mo-
numentis insignem, donec sepositâ empyriâ
Thaletem secutus Pythagoras philosopha-
ri inceperit, & ad veritatis indagationem
homines paullatim assuefecerit. Fundavit
scholam Italicam, junxit empyriæ physi-
cam, sed quo successu non determino, theo-
riæ enim limites non excessit & multos su-
perstitionum nævos admisit. Reperit fuos
æmulos non modo sed etiam contemtores
& Heraclitos, sed qui, dum in suo sibi pla-
cent simeto, à canibus stultitiae & contem-
tus sui vindictam expectant.

En aliam sed adhuc mutilam medicinæ
faciem! en primam ejus ætatem! expectat
illa brevi nasciturum suum genium Hip-
po-

pocratem , qui fabulas rescindat , confusa ordinet , mortuam animet & debito sibi splendori restituat. Nascitur ille post viginti olympiades & cum illo medicina renascitur. Hic dum per omnes terras artem exercet , quicquid arcani ubique locorum in templis publicis medicorum ærariis asservabatur , convasavit , omnium opiniones cognovit , atque bibliothecæ Cnidiae & templi AEsculapii incendiis id confecutus est ut solus omnia possideret. Hinc liberum fuit Hippocrati , sibi aliorum labores arrogare , sententias & subtilius cogitata pro suis amplecti , sensum aliorum pervertere , priorum temporum memoriam delere & novam condere. Sed fraudem , si ejus reus est , facile illi condonabimus , cum indigestam tot seculorum molem in ordinem redegerit , idque ea industriâ & integritate , tam accurate , tam circumspetè fecerit , ut se summum artificem ubique ostenderit ; cum artem aliquos docuerit & in

C

socie-

18 BERNHARDI ALBINI,
societatem laborum admiserit, qui illam tan-
quam diversi operarii fingendo & refingen-
do cum tempore exasciarent. Philosophaba-
tur, sed ita, ut experientia philosophemati-
bus metam poneret. Anatomen callebat,,
quod scripta passem docent , ut sint qui i-
psum corpora humana secuisse sustineant.
Non quidem cohærent omnia, inutila mul-
ta , multa obscura sunt, à vero abludunt
alia , sed quis in illa temporum caligine plu-
ra sibi promittet? & unde certi sumus inju-
riam temporis, blattas & tineas non multas
in ejus scriptis fecisse lituras,, alia periisse ,
alia substituta fuisse ? Dedit illi ad mini-
mum operam & alios ad illam manuduxit.
Idem Hippocrati quod pictoribus evenit ,
quorum tabulæ quicquid habent delicati
primo intuitu artis ignaro non offerunt ,
quo attentius illas intueris eo plura in iis
reperies, continuaque contemplandi con-
fuetudine eam perfectionem adipisceris, ut
minimos penicilli ductus&ex iis artifices di-
gnoscas.

ORATIO INAUGURALIS. 19

gnoscas. Discipuli magistrum secuti in artificiosissimâ hominis tabulâ plura & plura viderunt & opificem Deum pressius secuti sunt. Nec licebat istis temporibus corpora humana secare , ex brutis præeunte Pythagora discendum erat , ut post aliquot secula de Galeno adhuc dubium sit num illa secuerit , & ideo Herophilus cum Erasistrato maculâ notati fuerint. Abominabantur crudelitatem quam subesse credebant, ut non nisi furtim , vel in hostibus id tentarent. Vires tamen acquisivit eundo ut aliam ejus faciem apud Galenum videamus. De sanitate , de morbis eorumque causis & signis , de methodo curandi & remediis , si quis alius , exactè multa commentatus est. Quid Hippocraticis aphorismis verius? Quid coacis prænotionibus accuratius? Habuit Hippocrates suos discipulos , qui ejus vestigiis insistebant , sed habuit etiam suos æmulos & invidos , quorum mutuo attritu ars indies expoliebatur.

batur. In sectas & sententiarum divortia-
ibatur, hic Dogmatici cum Empyricis col-
lidebantur, ibi illam ex mechanismo Ascle-
piades explicabat, illic Themison metho-
dicæ autor erat, istic Diatribarii emergebant,
his gymnastica, illis pneumatica arridebat,
Eclectica nullis addicta omnium flores
delibabat, & quis omnes enumeraverit? Cui
constant omnium opinionum portenta, cum
præter Celsi & Galeni vix alia extenscripta,
nec nisi per fragmenta, quid senserint,
sciamus? Romani Imperii æmulam dixe-
ris, si parva magnis comparare licet, utra-
que enim Resp. magnis passibus ad mo-
narchiam contendebat. Serò licet Romanis
in pretio haberetur, vix tamen Julius Cæsar
habenas Romani Imperii moderabatur
quin medici jure civitatis donarentur. Jus
aureorum annolorum Augustus Musæ da-
bat; Chariclem mensæ suæ Tiberius admo-
vebat, Cladius Xenophontis patriam à
tributo liberabat; Erotianus sub Nerone
primus

ORATIO INAUGURALIS. 27

primus Archiatri cognomen gerebat; ut taceam ad Galeni usque tempora magno numero alios. Sed optandum foret honорibus & opibus non adeò disfluxisse, cum tantæ fortunæ artis progressibus obstiterint! In illâ rerum abundantiâ servis suis medicamentorum præparationem & manuum operam committebant, & sibi solis hodie sic dictam medicinam reservabant, quæ prima Pharmacopœorum & Chirurgorum origo & primum artis nostræ cacöethes est; qui enim primo medicis, his hodie medici serviunt; ultra professionis suæ terminos vagantur dum medicos se fingunt, & per mortes hominum graffantur. Galenus tandem altero à nato Christo seculo omnium Medicorum sententias pervagatus multorum voluminum sistema concinnabat, de singulis artis partibus perpetuâ rationum concatenatione agebat, Hippocratem ferè ubique secutus, nisi quod plus philosophiæ dederit: Chirurgiæ cognitio,

C 3

testē

BERNHARDI ALBINI,
teste Celso , qui sesqui seculo Galenum
præcesserat , major erat ; anatomia magis
exculta ; medicamentorum cognitio , præ-
euntibus Theophrasto & Dioscoride , pla-
nior. Hac suâ scientiâ & eleganti scribendi
genere id consecutus est Galenus ut ad
operum ejus conspectum , quasi Medusam
vidissent , fierent lapides quibus ad majora
incitamento esse debebant. Dum illum
medicorum pontificem maximum , di-
vinissimum , mare eruditionis , oceanum
disciplinarum , omnium ingenuarum ar-
tium promum condum & bibliothecam ,
imò heroa potius ac dæmonem quam
hominem dicunt , tanti Viri manibus justa
quidem exfolvunt , sed dolendum est per
integrum ferè millennium hoc glaucomate
excœcatos in eo enodando medicos substi-
tisse. Introducta etiam istius temporis phi-
losophia medicinæ pestis fuit. Recessum
ab Hippocratico scribendi genere , & quasi
novo quodam diluvio tertiam vice deleta
est;

ORATIO INAUGURALIS. 23

est; colluctata cum decumanis philosophiæ fluctibus incerto cursu naufragio proxima fatiscebat & per hiscentes rimas nautea illabebatur, donec tandem Arabum præda fieret. Averrhœem intelligo, Philosophorum Accursium, & tam divini ingenii Virum, ut, licet græcè nescius, mentem tam Aristotelis felicius quam alii persperixerit. Tradebatur ab eo Avicennæ, metaphysici ingenii Viro, & ab utroque miserandâ tyrannide dilaniata stabat ad tribunal Aristotelis & Galeni atque ab eorum decretis pendebat, donec utrique infensissimus Paracelsus Avicennam Basileæ in publico combureret. Opus erat tali Hercule qui Augiæ stabulum purgaret; opus erat antisignano ut sequerentur alii; excutiendus erat, quo premebantur, veterus! Sed utinam majori id fecisset modestia! Dolebat merito altum in scholis medicis de chymia silentium & in iis nihil profici: cum verò multa absurdorum nominum plaustra

&c.

BERNHARDI ALBINI,
& monstra saltem substitueret ideò disce-
debatur in partes , certabatur convitiis ,
pullus & lacer erat artis medicæ habitus
& facies quàm Hippocraticam dixeris.
Tandem mores thessalici & inanis jaētan-
tia iis , quibus de meliori luto præcordia
finxerat Deus , displicebant & ad alia cir-
cumspiciebant , quos inter Harveus primus
est qui non majori ausu quàm successu rem
aggressus est.

Cum fidus haētenus non visum in cœlo
apparet vix oculos animosque omnium
magis occupat quàm cum is sexto elapsi
seculi lustro doctrinā haētenus inauditā de
circulo sanguinis scriberet. En nova me-
dicinæ primordia! Incendebantur animi ,
certabatur cultris , ut novi systematis defe-
ctus novis inventis supplerent. Auroram
medicinæ dixeris sereni solis prænunciam
quæ supra Angliæ horizontem conspicua
omnium attentionem ad se convertebat ;
eventu faustissimo , præsto enim erant A-
sellius

sellius & Pecquetus qui Harveanis tabulis ad delubrum medicinæ lactes & ductum thoracicum suspendebant; & ne quid de-
esset, maximo ambitu lymphatica adde-
bantur, ut quatuor lustra quatuor mundi
millennia inventorum numero & pondere
longè superent. Non enarrare sustineo
quid hucusque in re anatomica inventum
sit, ne vestrâ A. O. O. H. patientiâ abu-
tar, apricantur enim, atque lippis &
tonsoribus nota sunt; id modò dixero,
totum corporis mechanismum sine liturâ
cognitum esse, eo perductâ re vix credibili
dexteritate ut præparata viscera variis stu-
pendi operis injectionibus asserventur, &, ne
quid deesset, in minimis vasculorum
mæandris rapidissimos sanguinis rivos ocu-
lis nostris intueamur. Patet corporis stru-
ctura ut ulteriori voto vix locus vacet. De
materiâ medicâ & remediorum fontibus,
quibus miseriæ nostræ succurritur, quid di-
xero? Quæ mare & terra, quâ latè patent,

D alunt,

BERNHARDI ALBINI,
alunt, quæ in terræ visceribus requiescunt
nostro cedunt usui ; Botanici in numerato
omnes herbas habent ; utriusque Indiæ
epitome horti nostri sunt, uno conspectu
videas quod ubique terrarum germinat.
Nihil est inaccessum industriæ humanæ,
pervagatis omnibus terræ angulis eam cu-
niculis suffodiunt, desperato ausu saxa &
scopulos perrumpunt & magno minera-
lium proventu artem nostram locupletant.
Aliud hodiernum Chemicorum est insti-
tutum, ab ænigmaticis loquendi scriben-
dique modis sibi temperant, rerum ana-
lysi intenti per experimenta earum naturas
explicant & usum docent. Hic tuta sunt
omnia. Reformarunt nævosa pharmaco-
polia : congrua medicamina eorumque
concinnas formulas non quantitate mole-
stas, sed effectu magnas, dant, ut citò,
tutò & jucundè medeantur. His præsidiis
suffulti œconomiam animalis demonstra-
tionibus mathematicis & mechanices legi-
bus

ORATIO INAUGURALIS. 27

bus adstrictam damus, morborum origines
& causas evolvimus, remedia exhibemus,
&, quā fieri potest certitudine, medemur.
Hæc nostra sunt tempora! Tempora verè
saturnia! Hæc est illa medicina quam Vos,
artis medicæ Antecessores Celeberrimi,
profitemini, & quibus ego in adjumentum
vocatus sum, cujusque Professionem modò
auspicor. Munus, si quod, maximè ar-
duum! Dædalea opera, nodi Gordii,
naturæ ænigmata evolvenda erunt. Mini-
ma est opera quæ sensus incurruunt evolve-
re, licet numerus eorum quovis numero
major sit: Alius restat orbis sensus fugiens
quemque omni vix attingimus arte. Mor-
bis, qui ipsam sæpe sagacitatem eludunt,
remediis, quorum virtus plus unâ vice in-
ambiguo est, mederi debemus. O sa-
lebras! ô præcipitia! In disciplinam artif-
que formam hæc qui redigere volet lon-
go sudore fatiscet, labor enim est Sisyphi
supplicio par. Hoc est quod inpræsentia -

rum subeo munus. Hic sacer ille locus
est, hæc illa subsellia sunt in quibus à fun-
datâ Universitate artem medicam professi
sunt Viri, quorum sagacitas, eruditio, in
docendo dexteritas, longa plurium anno-
rum experientia & industria effecerunt,
ut huc tanquam ad Æsculapii templum
sacris nostris initiandi confluerent. In o-
mnem orbem spoliis & tabulis medicis
onusti beneficiorum memores & præ-
cones discedebant. Laudibus almæ nostræ
matris terra quævis personabat, ut ars me-
dica sedem suam hic fixisse crederetur. Sed
qui ego sum qui hunc locum cum spe eru-
diti orbis occupare sustineo? Justus si quis
alius mei sum æstimator, suppellectilis meæ
nimium conscius & tenuitatis memor
quàm ut illud præsumam. Ultrò non ve-
ni, pertractus huc sum, providentiâ di-
vinâ & Superiorum jussu id factum, si quod
à me in Universitatem emolumentum de-
rivabitur id Vos mecum grato agnoscetis
ani-

ORATIO INAUGURALIS.

29

animo. Ego imprimis Deo supplico, ut
hoc in nominis sui gloriam & studii medi-
ci incrementum cedat.

Vos verò Patres & Nutritii Universitatis,
Vos studiorum nostrorum Mecænates, si
spem vestram non explevero, me tamen
pro virili id operam daturum persuasos esse
velim. Quæ vestra erga me sit benignitas
non uno argumento mihi constat: huma-
nissimè me ad Vos evocastis, benignissi-
mè recepistis, liberalissimè mihi prospe-
xistis, imposterum obsecro me protegatis.
Mea obsequia Vobis offero, mea studia
Vobis mancipo, eorum, quæ à mè præ-
stolamini & quæ vobis debeo, nunquam im-
memor futurus.

Vos, Patres Universitatis conscripti,
jam compello. Quantâ veneratione or-
dinem vestrum prosequar non verbis sed
opere probo. In ordine meo per terras
regias & electorales primus eram, Sacra-
tissimi Regis individuus comes & ægritu-

E

dinum

30 BERNARDI ALBINI,
dinum depositarius, Corporisfui salutem
meis consiliis & arti commiserat, Regia
in me Clementia omnia mea merita exce-
debat, ut ejus non sine intimo animi sensu
& ultimâ gratitudine recorder, lautissimè
habitus & plus unà vice regiè donatus lu-
strum exegi. Non loquar Procerum favo-
rem, æqualium amorem, ne magna par-
vis comparem. Omnia ubique talia erant
ut mihi gratularentur singuli & vix auribus
suis crederent cum me abiturum intellige-
rent. Quæ si Vos non persuaserint qualis
fuerim Vestrum æstimator nulla etiam suf-
ficiet oratio. Recipite igitur me in ordinem
vestrum, reperiam inter Vosquam quæro
tranquillitatem, nec me vestro amore indig-
num habeatis. Collega Vobis ero pacificus
sim vicissim gratiosus, ne contubernium
meum Vos olim pœniteat faxo. Imprimis
verò Vos, qui artem medicam profitemi-
ni, Viri Excellentissimi, persuasos velim
me non alio Vos accessisse animo. De cætero
so-

ORATIO INAUGURALIS. 31

socias manus operi admovebo; ut antiqua
& tot sudoribus parta fama facultati nostræ
constet munere meo solicite & indefessè
fungar. Quod si mutuo egerimus studio spe
suâ Illustres nostri Nutritii maestabuntur. Id
unicum Vos obtestor ne sententiarum di-
screpantia animorum divertia pariat; diver-
sa, sed salvâ amicitiâ, sentiamus, non enim vel
de fide, vel de salute æternâ agitur. Si alter
alterius studia laudaverit, probaverit, com-
mendaverit tum salvæ nostræ res erunt & in
publicum proficuae. Per me non stabit quo
minus voti composfiam: glorior enim hic
publicè integris septendecim annis, qui-
bus Medicinam Francofurti ad Viadrum
professus sum, nunquam me adversus Col-
legarum meorum quempiam contem-
disse; vixi cum iis conjunctissimè, nec ni-
si ægerrimè ab iis dimissus sum: si me eo-
dem favore exceperitis quo illi abeunte
prosecuti sunt desiderio nec Vos, nec me
hodiernæ diei pœnitiebit.

E 2

Quem

Quem favorem cum mihi pollicear tanto
confidentius Vobis, Generosi & Nobilissi-
mi Juvenes, qui estis spes patriæ quisque
suæ, & alacrius præibo. Vos estis in quos
expectatio parentum recumbit, eritis olim
tot ægrorum solatia; maestre igitur mè præ-
euntem sequimini. Si discendi vester fer-
vor meæ in docendo alacritati æmulus fue-
rit studia vestra adolescent, nec commora-
tionis hujus Vos olim pœnitebit.

D I X I.

2

BERNHARDI ALBINI
ORATIO
DE
INCREMENTIS ET STATU AR-
TIS MEDICÆ SECULI DE-
CIMI SEPTIMI,

Dic̄ta ad diem 5. Idus Februari. M. D. C. C. XII.

C U M

Magistratu Academico se abdicaret.



LUGDUNI BATAVORVM;
Apud SAMUELEM LUCHTMANS, 1711.

БЕРЯНІА АЛАНІЯ
ОІТАХО

INCREDIBILIS ET STATU AR-
TIS MEDICAE SECUNDI DE-
CIMI SILENTII.

DIGITIZED BY THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES



Digitized by the Wellcome Library

312457

BERNHARDI ALBINI
O R A T I O
 DE
 INCREMENTIS ET STATU ARTIS
 MEDICÆ SECULI DECIMI SEPTIMI.

ANIMOS mortalium omnium
 scientiarum & artium promos
 condos esse magnificè non mi-
 nus quàm verè Plato sensit.
 Promunt illas si quis secum
 moretur, aut præmonstratorem natus sit,
 qui eos studiis formet. Sed quid formet di-
 co? qui velamen removeat, quo obdu-
 cuntur, ut vires suas cognoscant, earum-
 que fiduciâ thesauris suis utantur. Nasci-
 mur artifices non simus, & habent animi
 aliquid in abdito, quod, cultui licet fru-
 etum ferat, undique tamen versum perlu-
 cet. Hic fons est ex quo majestas Vir-
 gili, deliciæ Ovidii, Platonis copia, &

A 2 Sal-

Sallustii brevitas scaturiunt. Hoc solum est, quod Isocrates aquâ, Æschines vino irrigabant, quoties accuratè & cogitatè scribeant. Divinum animorum est ineluctabile, eo nitimur & illi obnitendo frustra repugnamus !

Carmina pangat

Tullius, id faciet Musis & Apolline nullo. Verùm in corpore demersi ea sua esse non cognoscunt, quæ verè sua sunt; sui negligentes corpori se tradunt, cuius mole pressi cum omnibus suis pulchritudinibus tanquam in conditivo torpent. Provoco ad omnium temporum memoriam, eorum annales fidem facient maximam orbis partem fuisse barbaram, inter gentes etiam cultiores non nisi paucos excelluisse, vereor que ut septem Sapientes sint Græciæ magnifica & gloria ostentatio. At verò in illa hominum & seculorum multitudine subinde unum vel alterum ingenium exarsit & artem cudere cepit, quæ, torrentis instar la-

lata, suis inductionibus ingenii fæcunditatem dedit. Reperies integras nationes, uti suis virtutibus & vitiis, ita scientiis præ cæteris insignes; urbes singularibus charactribus notatissimas; familias quibus sua sunt gentilitia. Abundarunt Athenæ oratoribus, Lacedæmon ostendit nullum; Bœotia stupida, erudita Tarsus fuerunt; Ita nempe naturâ comparati sumus, ut jaetis cujuscunque artis fundamentis illam, seu gloriæ invidia, seu virtutis amore, æmulo studio excolamus. Nisi usque adeò Aristophanes Euripidem obtrectasset, cultissima eorum temporum tragœdia non foret; livor, quo Plato Democritum prosequebatur, ut quisque suæ artis magis satageret, effectit. Compertumque est in eodem studio iisdem, aut non longè ab invicem distantibus ætatibus ingenia excelluisse: Excitat quippe æmulatio studium & exemplis trahimur, nec sine his in unâ Curionum familiâ tres continuâ serie Oratores; aut in

Fabiorum tres continui Senatus Principes exstisissent. Quæ, si semel incultu & ignavia torpescant, ita vicissim pereunt, ut, quæ memoriæ aprodita sunt, vix suam fidem tueantur. Ostendant nostrorum temporum Athenæ Oratorem eloquentiâ spectabilem, quæ olim Oratorum mater erant. Exhibeant Mantua Virgilium, Sulmo Ovidium, Venusia Horatium. Frustra votorum sumus! sive illud factum sit, quod nullus Cæsarum inter lachrymas & suspiria federit, vel quod Pontum timuerint, aut quod ultimi musarum conatus fuerint, non dixerò. Id tamen ausim dicere simile fatum omnes artes mansisse, ut modo floruerint, dein neglectæ & abjectæ latuerint, donec alia ingeniorum intemperies eas de novo adorta iterum excoluerit; animadvertasque aliis temporibus alia studia effloruisse, ut eruditione censeretur nullus nisi eo studii genere clareret. Scaligeri, Casaubonus, Salmasius, Heinsius, Gronovius suorum tem-

po-

porum ingenia ad philologiam rapiebant:
& quis nescit hodie totum orbem eruditum studio matheſeos conflagrare? Nescio
an errem si studia epidemicis febribus com-
paravero, subito istae exæſtuant, sed citius
vel serius defervescunt & aliis morbis lo-
cum faciunt. Respicite mecum ad ultimum
quod vivimus ſeculum, earum nonnullas in
ſublimi loco constitutas, alias variis caſibus
jačtas vixdum conſistere, has ſpe devorari,
illias ingentibus accessionibus locupletiores
factas & unamquamque ſuos mānes eſſe
paſſam animadverteretis. Pulcherriſus di-
cendi campus foret per amœnas harum
mutationum varietates exſpatiari, fines no-
ſtos productos, ærarium locupletatum ſpe-
culari, & in iis tot vigilatas noctes inge-
niorumque immensam vim tanquam in
ſpeculo intueri; ſed integri ſeculi ſociatos
labores nemo facile horæ ſpatio complecti-
tur, aut certè ego is non ſum qui id aggre-
di auſim. Pulcherriſmos enim ſcientiarum
cam-

campos sive eminus sive cominus intuear
tanta florū fructuumve amœna diversi-
tas animum perstringit, ut ubivis eam di-
cendi ubertatem reperiam quam nulla di-
cendi vis, tantillo tempore eloquatur. De
Recturâ tamen decedens ad statum præ-
sentem me convenienter loqui reor, si de
his aliquid dixero; Horum enim pars ma-
gna OMNES sumus.

Vos quidem ILLUSTRES ACADEMIÆ CU-
RATORES & AMPLISSIMI CONSULES, dum cu-
ram à Patriæ Patribus Vobis datam tam
sollicitè gessistis, & ab aliis olim gestam ac-
cepistis, ut hoc scientiarum seminarium
magnitudine famæ circumluceret omnibus:
nullis parcitum est sumptibus, conquisita
omnia ut hoc templum musarum facerent
magnificentissimum. Non dicam de super-
bæ domus muris & ejus amœnissimo situ,
quæ tamen talia sunt, ut vestræ munificen-
tiæ & amplissimæ urbis splendori digna sint.
Vestrām benignitatem in medio ejus col-
lo-

O R A T I O.

9

locata Flora, coronæ instar his ædibus im-
positum Observatorium, Theatra anatomi-
cum & physicum magnificè instructa, Labo-
ratorium chymicum, Nosocomium & rari
exempli Bibliotheca, ceu totidem præco-
nes & buccinatores promulgant: nemo e-
nīm adeò barbarus est, qui nesciat quantum
hæc ad artium augmenta faciant. Loquun-
tur hæc inanimata vestram curam, sed
quia caduca sunt & temporum esca, qui Vo-
bis debetur honos cum iis periret. Amplius
est quod egistis quando ad ornementum
harum ædium Doctissimos quosque con-
quisivisti & in iis tanquam tot opima spolia
collocastis, quorum fama donec constabit
Vester etiam honor manebit. Pars ma-
gna horum Vos, CLARISSIMI COLLEGÆ, estis
cum expoliendis scientiis invigiletis, & ea-
rum incrementa laborum vestrorum fru-
ctus sint. Laudum vestrarum parcum me
esse jubet, quâ præcluitis, modestia, id ta-
men præfiscinè dixerim, vos olim similes,

B

ni

ni dixerō majores, iis futuros quibus sucessisti, & quorum fama æternis monumentis perennat. Pars magna horum Vos estis Viri Juvenes, in quorum usus hæc omnia comparata sunt: ad nos accessisti ut omni scientiarum genere exculti denuo recedatis; in vestros sinus omnes nostros thesauros effundimus & cum iis amplissimam spem eos cumulatissimè fructus datus. Vos omnium scientiarum & artium spes estis: alii vestrum olim erunt mæcenates, alii sub eorum clientelâ scientiarum fines prorogabunt. Pars horum & ipse sum qui hodie Recturâ, quam hoc anno gessi, defungor. Huic Reip. cimelio præfectus fui, ut meo officio ejus commoda moderarer, &, ne quid damni caperet, caverem: nisi vestris consiliis, COLLEGÆ HONORATISSIMI, adjutus, vestraque, Juvenes Viri, parendi promptitudine suffultus fuisset oneri impar eram, utrisque igitur me gratum publicè profiteor, &

& fasces academicos designato Clarissimo Successori summâ animi lubentia, precastus ut ea res nobis omnibus faustè feliciterque eveniat, resigno.

Quæ cum ita sint mihi persuasi me hodiernæ concioni aptius thema eligere non posse. Sed cum nec tempus, nec eloquium illi sufficiat, me artis, quam profiteor, terminis circumcludam: nec hujus progressus omnes, sed ultimi saltem, quod decurrimus, seculi prosequar, ostensurus quos & quibus initiis illa fecerit, & quo loco iam consistat.

Quod dum ago oratori favete. Unde ordiar amplius deliberandum non censeo, cum enim in usus hominis tota ars comparata sit, eam ejus partem ante omnia nosse expedit cuius commodis servit, & videndum quoisque in intimiores ejus recessus Profectores penetraverint. Decimi septimi seculi res anatomicæ inventorum dignitate & utilitate præ iis antece-

dentium seculorum in tam illustri loco sunt
constitutæ ut anatomicorum industrias
nullus calamus dignè expresserit: tanta fuit
illorum in rimandis visceribus pertinacia
quantam non alia vidit ætas. **Omnem**
Europam conspirasse dixeris ut in quovis
sui angulo eorum tropæa exstarent: æ-
mulo studio excitati nullis cadaveribus, nul-
li animantium generi pepercerunt ut alter
alteri anteverteret. In fabulis est **Neptuni**
filias singulis mensibus novem digitis cre-
visse, ætatemque novem annorum naætas
Ossam super Pelion posuisse, ut sibi in
cœlum aditus pateret: sine fabulâ dixero
rem anatomicam non mensibus, sed mo-
mentis crevisse, ut omnem, quâ latè pa-
tet, orbem impleret, nil jam æri alieno
debet, domi habet, ut viribus suis confisa
quod restat in aprico locet, & divino sci-
entiæ furore inflammata anatomia cum
Hercule exclamet:

Jam

Jam monte gemino limitem ad superos
agam,

Videat sub Ossa Pelion Chiron suum:

In cœlum Olympus tertio positus gradu
Perveniet, aut mittetur.

Sed verò non existimandum est quasi cœlo delapsa ita subitò caput extulerit: aranei leni auræ se non committunt, nec ad arborum cacumina ascensum moliuntur nisi fili auxilio; nec seculi hujus anatomici, nisi antecedentium laboribus adjuti, tantum opus aggressi sunt; fatendumque est semi seculum circiter, quod præcessit, tantæ molis fundamenta jecisse. Seculi nempe istius pharos, Germaniæ & cum maximè Belgii æternum decus, Andream Vesaliū volo, ita anatomici partes omnes explebat, ut nondum Vir factus divinum opus anatomicum exhiberet, quamque accenderat lampada discipulo & successori doctissimo Fallopio traderet, qui sociâ ope-râ Hieron. Fabricium formabant, quasi a-

natomiæ prospexitum non esset, nisi talem statorem sibi surrogarent; & mens ipsis præfigivisset, hunc fore qui quinquaginta annorum decursu Præceptorum pariter & in eâdem cathedrâ Antecessorum inceptos labores promoveret, nondum inventa adderet & ingenti accessione artem locupletaret. Nec minùs exemplo profuerunt, dum aliorum studia concitarunt, quos inter memorandi sunt Ingrassias & Columbus, Fabricii æmulus Caslerius, qui que utrique succenturiatus est Spigelius. Nec tacendi Cæsar Aurantius, Eustachius & Riolanus Pater. Hi erant seculi ejus Atlantes qui cœlum anatomicum suis verticibus fulciebant. Æmulabantur sibi, & nunc invidiâ, nunc admiratione, incitabantur, scriptis se differebant, quem hic laudibus extollebat, de eo alias asperrimè loquebatur, gloriâ verò, quam maximo ambitu petebant, omnes invitabantur. Galenus & per ejus latus totus medicorum ordo

do à Vesalio duriter vapulat; vicissim ipse à Nicolao Massa perstringitur & plagii accusatur; nec leviter illum Realdus Columbus pungit quod duorum auditus officiorum inventionem Carpo non ingenuè attribuerit, sed de iis ita egerit, ut se pro inventore censeri, vel lectorem dubium dimittere voluerit. A Beringario descripta lachrymalia puncta negligat Vesalius, illa non sine ignorantiae vel contemptus sui nota producit Fallopius, perpetuus cæteroquin divini sui Vesalii admirator. Quantâ non fiduciâ se Columbus scaphæ inventorem profitetur? Quam ægrè id non fert Ingrassias? Conscientiae suæ fidem interponit Eustachius, se neque doctum, neque monitum ab aliquo, multo antequam ipsi scripserint, id officulum novisse, aliis ostendisse & æri incidendum curasse. Ingenuitatis suæ immemor Fallopius suum inventum esse dixit, sed dicti statim pœnituit &, Deo teste constituto Philippo ab Ingrassia

re-

restituit. Valvulas venarum vix vulgabat Fabricius, & ecce tunc jam Sylvius eas novaverat, Paulus Servita ostenderat, Columbus in mesaraicis notaverat; in consortium laudis statim Salomon Alberti se ingerebat, dum eas in theatro ostensas publicas facit, eo prætextu usus, ut eruditas Fabricii scholas in lucem provocaret. Quàm manifestè exulceratum erga Vesaliū animum non prodit Eustachius, dum illum ex ambitione & invidiâ multa Galeni in pejorem partem trahere, non rarò à veritate discedere & fictâ pietate veniam petere scribit. Ipse verò nullibi usus pulmonum & circulationis sanguinis per eos à Columbo suo in cathedrâ antecessore descripti & solicite inculcati meminit, vel inventum hoc, quo pulchrius non aliud, promovit. Verùm jure talionis paria passus est, vena enim alba, quam primus tanquam artificii & admirationis plenam descripsit, neglecta jacuit, donec ab Har-

veo

veo & Pecqueto invidis utrumque nobilissimum inventum denuo protraheretur. Miserum habet Galenum Vesalius quod simiarum anatomiâ medicis imposuerit, sed quod ab ipso allatum est id sibi esse relatuum putet à Columbo in musculis oculi describendis dum illum beluinos dedisse ostendit. Magnâ voluptate perfundebatur Columbus cum oculi musculum obliquum externum inveniret, & magnum aliquem naturæ ruspatorem exoptabat, qui se de ejus usu & structurâ edoceret: quo stimulo laceritus Fallopius illum & accuratius descripsit & obliquum internum trochleâ obvolutum addidit, & amborum usum eruit. Tunicam humoris vitrei ipsi Vesalio prætermissam se primum patefecisse magnifice jactat Fallopius. Sed vetus res est, & jam olim Dædalus nepotem suum Perdiccam, quod is primùm ferram invenerit, summo tecto dejicit. Vetus sit utilis tamen est, incenduntur ingenia artesque

C cre-

crescunt. Cochlea nempe pulla micâ salis aut piperis lacesita humorem coccineum expuit. Denique magnifico apparatu ereta theatra anatomica, publica stipendia & honores Prosectoribus constituta finem decimi sexti seculi coronabant. Multa & magna sunt quæ invenerunt, sed proluserunt saltem, & venientis seculi populus plura sciet. Nempe sua cuique tempestivitas est, & prima fructuum acerbitas benigniore succo temperatur. Adolescet hoc seculo & antecessorum labores posteritatis limam experientur. Videbantur laboribus fessi paullum respirare, ut cum viribus animum resumerent & inaudita proderent. Harveus primus erat qui in theatro versabatur, cum immortale hoc Angliæ decus sanguinem à corde per arterias ire, eundemque per venas, unde digressus erat, redire, hujusque circuitus terminum illum etiam vitæ esse ostenderet, sanguinem in arteriis, quem omnia retro secula negaverant, reperi-

periret, prætervisum valvularum usum eru-
eret, & hoc invento medicinæ hactenus
credita fundamenta everteret; ut hanc ho-
diernæ medicinæ infantiam omnino dicere
fas sit. Facinus magnum & memorabile
ausus est dum cordis motum & usum asse-
qui præsumpsit: obstabant illi tot seculo-
rum frustrati labores, eruditorum abjectæ
spes, pulsantis cordis celeritas quam visu
non assequimur, quâque variis & confusis
motibus spectantem illudit. Hostiles ani-
mos oppidò Primerosius, Parisanus, Lice-
tus declarabant; alii ex indirecto primam
inventi gloriam vellicabant, sustinendo
circulum sanguinis jam dum Cæsarem Cre-
monium & Andream Cæsalpinum subodo-
ratos esse; imò Empedoclem quandam e-
jus adumbrationem dedisse; sanguinis ad
cor affluxum primum Aristotelem prodi-
sse, cumque Hippocrati planè fuisse co-
gnitum. Riolanus alias circuitus leges for-
mabat; Plempius rationibus & experimen-

tis convictus tandem Harveo manus dabant; Walæus, Conringius, Entius eundem nutricabant. Secundum dixisses bellum anatomicum Punico acerbius. Cum debellatum esset & de circuitu constaret, quâ vi id fieret dubium manebat; à liquido eam cum Cartesio & Hogelandio multi, alii à solido derivabant: maximè verò id sibi dari credebant Lowerus & Steno, ut cordis fabricam evoluerent & transfeuntis sanguinis velocitatem & mensuram rectè computarent: Cor, evoluto elegantiissimo fibrarum ordine, præ cæteris omnibus musculum esse accuratiissimum, ventriculos ejus sibi esse commensos, nec à dextro plus sanguinis suffundi, quām per sinistrum expediri possit, denique cor primum motus principium esse, ostensum est. Fruſtu rei tām pulchræ deficiebatur, niſi viæ chyli expedirentur. Novi ductus lactei in mesenterio omni antiquitati incogniti à Casparo Afellio reperti sunt, sed quo-

quorum origo certa, exitus verò incertissimus erant. Longæ & magnæ disceptationis res fuisset nisi Johannes Pecquetus receptaculum chyli & ab eo oriundum ductum thoracicum detexisset, quibus lœti torrentes corriavati chylum ad sanguinem emitterent, quiique, ut refluxus inter ciperetur, crebro valvati deprehendebantur. Et ita demum expedita via erat quâ cibus in sanguinem transiret. Quoties eorum temporum, cum de his nihil adhuc constaret, ratiocinia memoriâ repeto, fabula subit, quâ Dædalus vaccam ligneam fecisse, illi veræ vaccæ corium induxisse in quâ Pasiphæ cum tauro concumbens minotaureum, inextricabilis labyrinthi futurum incolam, conceperit, fingitur. Physiologi cum ignotis viis consuecebant, pariebat ea consuetudo opinionum monstra, quæ, licet sub humanâ specie apparerent, capita habebant taurina & inextricabilem labyrinthum texebant. Quod recens natis

idem etiam renatæ anatomicæ eveniebat, ut videlicet primis infantia annis incref-
cant: cui enim triginta annorum spatio tan-
tus cumulus accesserat ea circa medium
seculi vasis lymphaticis, Bartholino, Rud-
beckio, Jolivio statoribus, corroboraba-
tur, in iisque obliquanti Bilsio valvulae à
Ruyschio ostendebantur. Nulla corporis
ferè pars est, quin aliquid ad anatomicæ
augmentum ex suo sinu depropserit. A
glandulis maxillaribus primos salivæ fontes
Warthonus; à parotidibus Steno Blasiusque
rivales; à sublingualibus Rivinus, aut Bar-
tholinus; à membranæ pituitariæ glandu-
larum glomeraminibus Schneiderus corri-
varunt. A pancreate ductum insignem
partu sibi funesto exclusit Wirsungus; in
hujus numerum infinitas glandulas cum suis
excretoriis Peyerus atque Brunnerus ag-
gregarunt. Omnes fere membranas in
glandulas resolvit Malpighius; cujus no-
men pulmonum, hepatis, præeunte Glis-
sonio,

fonio, lienis, omenti, cerebri, renum
struktura, tactus gustusque organa, reticu-
lum vasculosum, innumera cutem pertun-
dentia miliarium glandularum vascula, im-
mortale facient. Multum sub initium de-
cimi sexti seculi anatomiam restituendo,
musculos, venas, arterias & nervos in or-
dinem redigendo Jacobus Sylvius egit,
de eo tamen sum pervasisissimus, si hodier-
norum neurologiam, angiologiam & myo-
logiam quis speculetur vix cum invicem
comparari posse. Concives nostri Swam-
merdammius & Graaff illud Harveanum
ex ovo omnia, partium genitalium stru-
cturam evolvendo, locupletarunt. In fœ-
minis repertum est ovarium & in ovo fœ-
tus. Van Horne & Swammerdammius
adscito in consortium amicitiae & laboris
Stenone sociatis manibus veneris mysteria
funt scrutati, &, ne res successu careret,
primus Swammerdammius liquidâ cerâ
vasa replevit, effecitque ut invisia vi-
deri

deri & palpari possent. Oculus recentiorum distat ab eo veteris ævi quantum æra lupinis, mille vias ostendit veteribus non vias, quot in eo non sunt ex vasculis & nervis contextorum plexuum miracula? Humores crystallinus in vasa, vitreus in vesiculas resoluti sunt. Auris structura alia est quam olim exhibebatur, licet eam multis modis Eustachius correxerit, musculo & tuba auxerit, nervum aliter delineaverit, seu Du Vernay seu Valsalvæ fides constet. Malleum, de quo priori ævo anatomici, qui primum pilum ducebant, lite contenderant, nullus vidit integrum, novam enim sed insignem apophysin ostendit Rauius; cuius ossa vacuis medullis exhausta erant modò medullata sunt; quæ periostio privabant, ea plexu va-
forum mirè variegato induta cernimus. Fontes salivæ oculorum innotuerunt. Punctorum lachrymalium originem correxit Morgagnus, eorum intra nares progressum pri-

primi prosecuti sunt Needham , vel Ste-
no. In palpebris comparent vasa Meibo-
miana. Tотus denique homo ex vascu-
lis conglomeratur. Sed quid his enarran-
dis incumbit quorum finis nullus est? Tæ-
dio forem si recens inventorum apparatus
membratim exhiberem ; sceletus est supe-
riorum temporum anatomia , cuius facies
modo est succiplena & nitida ; primas ejus
lineas nostrum seculum accepit , cuius si-
mulacra modo sunt iconica. Nec de re-
bus , nec de earum inventoribus plura
commemorabo , illis enim recensendis suc-
cumberem , his autem adulari viderer :
extollet horum merita senior ætas , quæ de
præsentiarum tacito sensu venerabor.

Mecum jam A. O. O. H. per amœ-
nissima vireta , ut jucundissimos Botanico-
rum labores speculemur , exspatiemini. Li-
cet herbarum cognitio antiquissima medi-
cinæ pars sit , omnia tamen retro secula ejus
sterilia fuerunt ; apud Hippocratem enim

circiter ducentæ, Dioscoridem triplo plures, Matthiolum nongentæ numerantur, aliis verò alias identidem addentibus circa seculi nostri initium testibus Bauhinorum lucubrationibus ad sex mille circiter numerus auctus erat, quæ novendecim seculorum sane paupertina accessio est. Quò seculum elapsum propinquabat magis, eò ardentiore studio botanica petebatur, ut solus Gesnerus quingentas nondum descriptas notaverit. Veniebant in societatem laborum Reges, Principes, Respublicæ, qui botanices gñaros stipendiis accitos alebant & magnificos hortos exstruebant. Hos inter Serenissimæ Venetæ Reip. primus est Patavinus, quem Pisanus Mediceorum opus excepit, utrumque verò Parisinus, Monspeliensis & Blesensis secuti sunt. Sed quid circa exterorū occuporū cum Dodoneum & Clusium Illustres Curatores huc evocaverint? Verùm quò locupletiores erant accessiones eò labor confusior reddebat,

batur, ut quinque vel sex mille plantis cum suis synonymis in ordinem redigendis Casp. Bauhinus quadraginta annos impenderit, nec illum vel temporis, vel laboris pœnituerit, sed id sibi honori duxerit & sui Pinacis titulo inseruerit, ne nesciret posteritas quantum opus fuerit executus. In simili labore frater ejus Johannes consenuit, sed oneri uterque succubuit; toto enim opere id saltem obtinuerunt, ut orbi erudito constaret quām parūm profecerint. Nemo Morisonum evolvit, quin hallucinationes Bauhinianas singulæ paginæ illi occinant. Optandum quidem foret diligentissimum Morisonum mitius cum ipsis egisse, his enim non adjutus forsan suam plantarum historiam eo usque non deduxisset. Sed humani quid passus est, quo nostrorum inventorum magnitudinem ex aliorum despectu æstimamus. Crescebat cum numero plantarum studii difficultas, tot nomina cum suis synonymis humanæ

memoriæ vim superabant , quorum licet
jam dum nullus modus esset , cum illis ta-
men comparatus , quorum quotidiana erat
accessio , exiguis videbatur : propter mo-
lis magnitudinem hoc studium vicissim ne-
gligendum præfagiebant : ut igitur operam
studentium sublevarent confusam indige-
stamque molem in ordinem redigere an-
nitebantur . Casparus Bauhinus à grami-
nibus incipiendo per fruges , olera & legu-
mina ad frutices & arbores progrediebatur .
Johannes Bauhinus vicissim à pomiferis or-
sus in fungis & tuberibus terminabatur ; il-
le congenerum & affinium societatem à for-
mâ externâ & viribus ; hic à formæ & fru-
ctus similitudine æstimabant . Simon Paul-
li per anni tempora , quibus florent , vel
fructus ferunt , quadripartitam distributio-
nem amabat . Dodoneus cum in suaveo-
lentia , medicinalia & cerealia opus suum
partitus esset , ordiebatur ab iis , quæ ad di-
cta capita reduci nequibant , ut duces essent
in-

incerti ordinis ferentarii, quos quæ oblectant, sanant, conservant longâ serie sequantur. Sed quivis facile deprehendit, toto, quod ajunt, cœlo differentes jungi, jungendas separari & quadrata rotundis misceri. Cum hoc seculum prioribus quater mille plantas & ultra addiderit, antro Trophonii Jovis quām scientiæ similior erat, undique omnia horrebant, ut nemo, cum addiscendæ impar esset, nisi jacente & afflicto animo inde digrederetur: antri quippe ejus memoriæ fonte, ex cuius haustu omnium, quæ vidissent, recordabantur, destituimur: Unicum subsidium commoda methodus erat, juxta quam quæque suo loco reponeretur. Opus dignum quod homo moliretur! Quantùm non sibi Divus Justinianus, quod dispersa legum volumina in ordinem redegerit, gratulatur; super eo tantùm atque de orbe pacato exultat; sed qui plantas ordinabit majus opus exequitur. Justinianus e-

nim pro imperatoriâ potestate leges abrogare, novas condere, retentas suis terminis circumscribere non poterat solùm, sed, ut fieret, mandabat: hic verò nihil nostræ potestatis est. Quotquot etiam fuerint legum romanarum volumina, nota tamen & in Imperatoris potestate erant; sed hîc quæ totum terrarum orbem tam pulchre ornant plantæ, illæ etiam, quas nondum novimus, quasque uterque Indus & terræ nobis adhuc incognitæ incolæ pedibus calcant, ordinari debent. Hoc opus! hic labor est! Exactum erat seculum ferè dimidium cum manum operi Robertus Morisonus admoveret, notas genericas & essentiales à seminibus seminumque similitudine petitas, quæ per tabulas cognationis & affinitatis stirpes disponerent, specimine de umbelliferis dato, publico exhiberet, singulas species sub generibus intermediis & hæc sub supremis, singulas suis notis essentialibus distinctas, disponeret.

ret. Quo ipso id conseqüebatur, ut memoriam incredibiliter sublevaret, certis generibus immensum plantarum numerum complecteretur, herbas antea non vias ad suas classes referret, sui generis nominibus appellaret; imò virtutes, quas plantæ ejusdem generis ut plurimum eadem habent, cognosceret. Sed tantum opus non sine præmonstratoribus Gesnero, Columna, Cæsalpino adortus est. Ad conspectum rei tām pulchræ alii irritabantur, quos inter Johannes Rajus, exempto è rebus humanis Morisono, quem majora viribus aggressum esse, nec eruditorum expectationi satisfecisse judicabat, rejectis generum notis Morisonianis, illas à flore ejusque calice, à semine & ejus conceptaculo, tanquam suo judicio maximè naturales & ad botanicen descendam commodissimas desumebat. Turnefortius ab utroque recedens eas in floris fructusque formâ ponit, his non sufficientibus radicem cau-

caulem , folia , ramos in auxilium vocat ,
& viginti duobus titulis generalibus omnem
plantarum seriem complectitur. Omnes
eò collimant , ut plantas ordinatim & na-
turali serie disponant , studiorum nostro-
rum compendium faciant , & viam , quâ
de earum viribus nobis constet , ostendant.
Incredibile opus magnâ laborum toleran-
tiâ perfecere. Talibus tropæis ad im-
mortalitatem factis epinicia ars nostra sus-
pendat ! Jam namque jucundus unius anni
labor est omnes plantas nosse ad ignotas
etiam protractâ scientiâ , estque hujus loci
ea felicitas ut ad botanicen addiscendam
Lugduno pedem efferre nemo neceſſe ha-
beat : Illustrium enim Curatorum & Am-
plissimorum Consulū erga hoc studium
favore intra hujus domus pomœria hortus
est universi ferè orbis spoliis superbis , in
quo per gentes & familias suis quæquæ gen-
tilitiis insignibus notabiles plantæ descri-
ptæ sunt , ut dubites utrum plantarum nu-
me-

merum an ordinem magis mireris, quem hortum qui lustrat uno obtutu quicquid flora pulchrum & mirabile habet oculis se ingerit.

Decimo sexto à nato Christo seculo Theophrastus Paracelsus, aliâ viâ medicinæ reformationem aggrediebatur, & audacissimo conatu, chemica principia & medicamenta in eam introducendo, illam è fundamentis concutiebat. Qui cum plausè novæ medicinæ auctor esset nova nomina in novam scientiam introducere suæ potestatis esse rebatur, nempe sali, sulphuri & mercurio ens pagöicum, cagastricum, archeum, leffas, stannar superaddebat, quibus res hactenus ignoratas explicabat. Quæ cum plausibiliore specie se commendarent, ut sunt animi hominum novitatis avidi, reperti sunt Petrus Severinus, Hartmannus, Joachimus Tanckius, Gerhardus Dornæus, Leo Suavius, Alexander à Suchten, Henningius Scheune-

E man-

mannus, Pater & Fratres de Roseâ Cruce
Josephus Quercetanus, Oswaldus Crolius
qui cum Paracelso de iis consentirent :
sed, postquam res ipsas paulatim penitus
introspexisse, inter se diversi erant , &
fatagente præprimis Sennerto , ringente
Freitagio , chemia oeconomiæ hominis ex-
plicandæ , morborum causis cognoscendis
& morbis curandis applicabatur. Dixisse
circa seculi nostri principium totum or-
bem medicum conflagrassè tām tumultuo-
fē omnia agebantur. Josephus Querceta-
nus cum omni hermeticorum disciplinā à
scholâ parisiensi damnatur , à consultatio-
nibus publicis excluditur , Riolanus mortis
pœnam spagyricis medicamentis utentibus
decernit. Causam Quercetani & Herme-
ticorum Mayernius, Libavius, Rulandus,
Harvetus, Baucynerus pari zelo suscipiunt.
Palmarius , quod neutrarum partium esset
ad palinodiam cogitur , è Doctorum catalo-
go expungitur & omnibus academiæ emo-
lu-

lumentis, honoribus & privilegiis à Parisi-
nis spoliatur, nisi abjuraret: idem à Liba-
vio pessimè habetur; à Rulando vapulas-
set, nisi utrumque mors intercepisset. Pa-
racelsicas futilitates ægerrimè fert Crato,
perstringit Eraustus, confutat Libavius. Cum
quàm tumultuosissimè mutuis dissidiis di-
stringerentur novus per ignem Philoso-
phus Johannes Baptista ab Helmont con-
tra omnes ad arma veniebat, Galeno &
Aristoteli bellum denunciabat, Paracelsi
sal, sulphur & mercurium in aquam con-
vertendo evertebat & cum novo seculo
novam medicinam formabat, in quâ vide-
mus dominari archeum, qui irritatus sibi
furores parit, mentique inobediens factus
in proprio blas exorbitat, atque ita, qui
Paracelsi obscuritatem scriptis insultat, e-
jusdem criminis se reum facit, dum no-
minum monstra archeum, gas, blas, fer-
mentum seminale, quod sit ens creatum,
formale, nec substantia, nec accidens in

E 2 sce-

scenam producit. Defervescebat paulatim Paracelsicus impetus & inaudita hæc doctrina in ejus locum surrogabatur, donec circa medium circiter seculi nova principia acidum & alcali à Zwelffero & Tachenio in medicinam inducerentur. Nihil aptius naturæ phœnomenis explicandis videbatur, simplicitate & facilitate doctrina se commendabat, præprimis quando archei & fermentorum auctoritas persistebat. Cartesii philosophia hoc tempore cusa huic placito favebat: quotiescumque enim chemici fermentationem per concursum acidi & alcali explicabant, hæc cum suâ materiali primi elementi præstò erat ut conflictus rationem daret; nec ullius in corpore latentis fermenti tām abstrusa ratio erat quin eam materia primi elementi peregrina facta evolveret. Mille ex his principiis curiosa & scitu dignissima experimenta petebantur, ingentem optimorum remediorum supellestilem indies dabant, pharmacia refor-

formabatur, & cum illa ubique, licet non adessent, reperirent, illis aliam medendi methodum superstruerent, nullamque rationem nisi his salibus conditam veram judicarent, evenit huic doctrinæ quod curbitis, quæ unâ æstate in sublime descendunt & ad cacumina altissimarum arborum enituntur; diluvium erat, contra cuius æstum viri docti vias publicas nequicquam marginabant. Sed illi quod iisdem evenit, ut si autumno vel unam pruinam senserint foliis marcescentibus dejiciantur. Cum enim ad obrusam non consistat, majoribus passibus ad interitum vergit, quam qualibus se erexit. Non tamen ideo chemicorum furni minus fervent, aut experientia fiunt, sed hæc mechanicæ & staticæ applicantur; adeò ut chemia, quæ in elapsi seculi infantia ænigmaticis & mysticis loquendi formulis involvebatur modò clare & distinctè tradatur & arti nostræ felicius applicetur. Sed quanti laboris non

erit eam ad matheseos leges exasciare ! Cum quisque eam medicinæ partem , quam nactus erat , ornaret , commodè animum ad philosophiam Renatus des Cartes , acerrimi judicii Vir , adjiciebat ; qui cum mathematicis meditationibus assuetus esset , nil verum credens quod clare & distinctè non percepisset , cum peripatheticâ aliisque scholis confligebat , omnibus generali dubitationem interminans id effecit , ut , si ipse verum non reperit , in id tamen sollicitius inquirendi occasionem dederit . In generalioribus quidem substituit , nec ad medicinam applicuit , studia interim aliorum ita incendit , ut deletis veteris philosophiæ vestigiis , illa tota corpuscularis esse inceperit & ab illo tempore mille egregiis experimentis illustrior facta fuerit . Hâc præparata ingenia , quando ad medicinam accedebant , eam reformabant . Haec tenus rectam viam ignorabant , in plures una findebatur , stabant nescii quo flecterent in bi-

viis pedem; cudebat igitur quisque syste-
ma illi medicinæ parti congruum in quâ
plus aliis valebat. Hic fons est tot, quæ
exstant, systematum; sed quæ imaginibus
pictis optimè comparaveris, quæ licet ho-
minem, ut ovum ovum, exhibeant, sunt ta-
men faltem ejus mendacia, quæ in recessu
nihil, ab umbris habent omnia. Videas qui-
dem in iis concinnas cohærentias, demon-
strationes apparenter mathematicas &
omnia affabré exposita ut rem non secus se
habere conceptis verbis dejerares: si ve-
rò manum operi admoveas & illa ad ar-
chotypum examines supposita pro certis &,
quæ scire maximè interesset, nesciri anim-
advertes. Et utinam cum his umbris pro
cathedrâ faltem decertatum nec clinicis ap-
plicata essent! Observes enim ad eorum
grabatos giganteâ audaciâ Jovem è cœlo
depulsuros magnis excidere aufis. Verùm
enim verò is videri nolim qui hypotheses
damnet, sine illis enim totius medicinæ
com-

complexum nemo disceret , sed illæ sunt
expoliendæ astronomorum exemplo , qui
hodie suis systematibus corrigendis quām
non desudant; adeò hic verum est, mul-
tos ad sapientiam perventuros nisi ad eam
se pervenisse putarent. Hoc animo si fo-
rent etiam hypothesium diversitas verita-
tem erueret; ex pyrite quippe & chalybe
concussis, quæ in neutro præexistebat, scin-
tilla proflit: Mustum eas dixeris quod pa-
lato primum blanditur, sed justò plus bi-
bitum nocet , nec nisi longâ fermentatio-
ne & molium collisu in generosum vinum
faceſſit. Ne quâ perfectio medicinæ de-
effet ejus problemata ad leges geometriæ
exigere ceptum est. Trigesimus septimus
seculi annus volvebatur cum Cartesius stu-
pendum ingenii sui monumentum , Geo-
metriam volo, publici juris faceret, mi-
rum dictu est, quantum novâ istâ analyti-
câ methodo ingenia incenderit, ut præ-
stantissima quæque hanc sibi addiscendam
po-

postulaverint. Maxima scientia major facta eam adepta est dignitatem, ut hodie ejus studio ardeant & felici auspicio medicinæ applicetur. Res vetus, inceptum novum est. Vetus est, si enim Pappo credimus jam priscis idem fuit institutum ut rerum naturalium investigationi geometriam applicarent; Hippocrates etiam filio suo Thessalo ad utilitatem artis medicæ eam commendat. Institutum novum est, quia non nisi paucissima veterum fragmenta extant. Vetus est, quia idem est corpus hominis quod olim fuit, in illo iidem motus ex iisdem viribus adhuc resultant, sunt eadem adhuc vires quæ ad motus requiruntur. Institutum novum est, quod motus ex viribus quibuscunque resultantes & momenta ad motus quoscunque requisita ad calculum geometricum revocentur. Vetus res est, quia vera est: Institutum novum est, quia haec tenus ignoratum aut superciliosè contem-

ptum est. Sæpius mecum miratus sum quod Illustris Baro de Verulamio Aristippeorum causam tam prolixè sustineat, velitque mathematicas scientias cum plurimorum scientiarum detimento liberis campis delectari, meras esse speculationes, in quibus, tanquam supervacaneis, cum ad solida non sufficit, ingenium nostrum atterat; Mathematicosque deliciarum & fastus reos agat. Non diffiteor Illustri Baconi magno argumento esse, quod Euclideis laboribus nihil, tot seculorum intervallo dignum, additum sit; doctrina de solidis nec à veteribus, nec ab aliis ad sua usque tempora instructa & aucta, nec algebra satis bene consummata fuerit. Sed quotusquisque est qui cæteroquin justissimos ejus dolores jam non sublatos videt & stupet, ex quo Cartesius quæstionem Pappi, quam Euclides resolvere incepérat, Apollonius continuaverat, nemo verò perfecerat, infinitis modis solvit, Geometriaq.

metriam nullis problematum finibus, aut numero cōercitam dedit, & tot seculorum silentium tanto fœnore pensavit? Den letam videoas tot seculorum socordiam à Leubnitzio, Newtono, Hospitalio, Bernoulliis fratribus, aliisque Illustribus Vis ris. Litura igitur mendum hoc cōerceat & matheſeos existimatio farta teſta ſit. Sed Mathematici in deliciarum & fastus reatu adhuc hærent! Reatus forent deliciæ ſi Alexandrinæ eſſent, ſed hic nullam reperias dicacitatem, aut petulantis linguae laſciviam, conciſæ ſunt demonstrationes, non à pueris, ſed viris, qui in iſto ſtudio conſenuerunt, prolatæ. Quid ingenio humano dignius excogitari potest, quām ex ſimpliciſſimis datis perpetuâ demonſtrationum ſerie res abſtruſiſſimas invenire, ſiderum motus calculo complecti, & eo, quo uſque licet, eniti? Illam poſſidere ſcientiam quæ unica & ſola ſcientia eſt, & quæ, ſi error committatur, errantem er-

roris convincat? Hæ certè, si aliquæ, humani intellectus deliciæ sunt! At quid criminis his subest? si culpa est secum habitare, veritatem speculari, inventâ delectari, quis erit innocens? Sed grandius crimen fastus est. Si id est fastosum esse solam veritatem sequi, obscura, falsa, dubia cum eâ non comparare, sed negligere, fateor à fastu excusari non posse; secus si facerent, nautæ comparandi essent, qui in vasto oceano sine mappâ hydrographicâ, sine pyxide nauticâ errabundis, licet à magnete aliisve subsidiis aliter eductus, se jungeret, is profectò non excusabili errore certo naufragio se suosque exponeret. Speculatrices meras & pernicialia aliarum scientiarum damna esse hodierno die impunè dixerit nemo, cum à quinquaginta annis mathesis omnibus naturalibus scientiis felicissimo auspicio & prosperrimo successu juncta sit, statoribus Galilæo, Gassendo, Cartesio, Cabæo,

Bo-

Borello, Hobbesio, Robbervallio, Pafchale utroque, Torricellio, Cavallerio, Scheinero, Fermatio, Baccheto, Nepero, Newtonio aliisque. Vultis testes omni exceptione majores? en integras societas Florentinam, Anglicam, Gallicam, Prufsicam auctoritate Serenissimorum Regum & Principum, Magni Hetruriæ Ducis, Caroli II. Ludovici XIV. & Friderici I. fundatas, hæ invitis & repugnantibus assertæ veritatis confessionem extorquebunt. Dimittere nequeo mathematicos quin Sanctorii viri diligentissimi, qui medicinæ incrementum in seculi principio mirè cordi habuit, meminerim. Is sibi persuadebat medicum quotidianæ evacuationis ignarum quantum & quando aliquid sit auferendum vel addendum pro sanitate conservanda vel recuperanda nescire, ergo hominis sanitatem trutinabat, eique soli studio triginta annos dabat & inauditæ medicinæ staticæ fundamenta jaciebat. In-

veniebat idem pulsillogium, quod omnes
pulsuum differentias exhibebat, morbi va-
rios status docebat, ejusque magnitudi-
nem & vehementiam indicabat, sed quod
cum inventore periit. Observationes sta-
ticæ in aphorismis superstites manserunt;
si id superesse dicendum est, quod in u-
sus, ad quos solummodo fabricatum est, à
nemine tractum fuit. Staticomastix Obi-
cius tot annorum toleratos labores sancto-
rianos indignis planè modis excipiebat; si
vera, quæ tamen paucissima, in iis repe-
riebat; illa Galeni erant; multa, ut me-
dico indecora, contemnebat; omnibus,
licet frivole, obloquebatur; totum deni-
que inventum Cardinali de Cusa, jam an-
te sesquiseculum defuncto, tribuebat: ne
scilicet veritatis, vel laudis umbra reliqua
effet: ubique sibi suoque Roberto trium-
phos decernit, sed ante victoriam, tres
quippe operose congestos dialogos San-
ctorius tribus verbis protrivit. Turbam
ta-

tamen galenicam, quæ tunc temporis rerum potiebatur, adeò hic mastigophorus submovebat, ut Sanctorius, præter Hieronymum Thebaldum, quod sciam, nullum imitatorem repererit. Sannæ, quibus eludebatur medicina statica, effecerunt, ut capitis vacui esse crederentur qui ad pondus in staterâ ederent, egererent, dormirent, & medicum insaniæ proximum judicarent, qui cives in staterâ suspensos esse & remp. pensilem habere gestiret; hæc ad remp. Platonis pertinere nec nobis applicari posse, nisi quis id agat, ut cum ratione insaniat. Verùm quicquid horum sit, si unus vel alter huic methodo inhæsisset, seculi hujus decursu forsan tot observationes factæ fuissent, ut perpetuæ veritatis aphorisimi condi potuissent. Sunt hæc inter reservata posteritatis! Quæ & quanta seculi nostri sint inventa A. O. O. H. audivistis, æquiparanda sunt æthiopicis imbris, qui tantam aquarum vim

con-

congerunt ut è rivulis in Nilum exurgant,
qui Ægypti agros frugum fertilissimos fa-
ciat; dum enim passim ab omnibus me-
dicinæ partibus tot commoda confluunt,
illa valde locupletatur. È hominem im-
mortalem reddi expectatis, cum sanitatis
conservatio & amissæ restitutio unicus ar-
tis finis sit; mihique insusurrari sentio, eâ
tamen haec tenus nec funera imminuta, nec
morbos domitos esse; magnifica promit-
ti, præstari pauca; Mirabili peruvianæ
comparandam cum lemmate: Pulchritu-
dine & caducitate spectabilis. Aliter sen-
furos confido cum intellexeritis longè plu-
ra & majora ad artis perfectionem requiri,
magnifica esse, sed nondum sufficere, pri-
main modò esse medicinæ infantiam quæ
seculorum concursu adolescet. Nemo o-
pinor inficiabitur in praxi medicâ anato-
miam summè necessariam esse, eâ quippe
machinæ interiora, quâ perfectior alte-
ra non est, cognoscimus, eamque inter
pra-

practicum anatomicum & anatomiae rudem differentiam esse quæ inter cœcum & visu valentem in eâdem domo commorantes ; licet ille palpando omnes domus angulos æquè certè exquirat atque hic , si quid tamen insoliti in viâ offendit , progredi non audet , hæret anceps , nescius quo flectat pedem , sæpeque deliberando æger perit . Sed scimus etiam esse machinæ prodigium in cuius minimis pervidendis haec tenus talpæ sumus & Tiresiæ . Cui olim prosectorum in mentem venit sanguiferorum ductuum tunicas ex meris vasis liquido plenis compaginari ? hujus tamen microscopia & injectiones hodie nobis fidem faciunt ; & quis nostrûm novit numne & horum tunicæ ex aliis , & ita porrò horum ex aliis componantur ? Si enim ad Dei omnipotentiam respicimus , hoc illi æquè possibile est atque prius , & nimiùm audax foret , qui eam suo intellectu limitaret : à parte verò nostri nihil est quod

G

illi

illi opponamus, nisi quod nullâ imaginationis vi rem assequamur. Assequere igitur, qui tantum imaginationi confidis, corpora, vasorum, musculos animalculi spermatici, quorum plura in lactibus unius aselli comprehendit Lewenhoekius quam homines sunt in toto terrarum orbe; horum vasorum tunicae propter rationis analogiam ex vasculis aliis componentur; cognosce minimas liquidi per illa transeuntis partes, imaginare tibi globulos eorum sanguinem constituentes; & si dixero decem mille ducentos montes, quorum quisque altissimo totius telluris monti sit æqualis, non tot in se continere arenulas, quot una arenula particulas sanguinis horum animalculorum continere possit, aut fateare te, res licet vera sit, id non posse, aut Keillii calculum erroris convincas. Mirabere jam cur corpore disiecto & manibus ita explicato, ut partes omnes oculis pateant, nullam saepius mortis causam inveniamus; in his enim

enim tām parvis, tām nullis, maxima vis est; Sed hæc & infinita alia sunt quæ ocu-latas prosectorum manus subterfugiunt; infinita igitur in corpore extant, quæ non cognoscimus, infinita sunt quæ artis no-stræ perfectioni obstant & posteritati reser-vantur.

Res botanica merus apparatus est, qui multūm commoditatis, utilitatis parūm de-dit. Qui herbas per totum terrarum or-bem dispersas per mille pericula & labo-res conquerunt, earuin characteres inve-stigant & juxta eos in classes distribuunt, mihi homini, cujus summa sapientia esset legere & scribere, & qui in palatium, per cujus omnes angulos sine ordine dispersa decem mille volumina omnis eruditionis & literaturæ jacerent, introduceretur, il-lique id negotium daretur, ut libros inor-dinem redigeret, comparandi videntur. Qui, si conquisitis omnibus theologi-cos à juridicis, utrosque à medicis, o-

mnes à philosophicis distingueret, si singu-
las classes in alias, vel per sebas, vel ma-
teriæ affinitates ex inspectis titulis divide-
ret, certè operæ pretium fecisset, bibliothecam ad usus optimè ordinasset, ut li-
bros quoscunque in ordine reperire & no-
vos suo loco reponere posset; ignoraret
tamen quid in libris contineretur, qui bo-
ni, qui mali, qui eruditi, qui triobola-
res essent, nec ipse vel hilum doctior e-
vafisset. Sed quæso in ordinandis decem
mille herbis nunquid aliud præstitum est?
Externos plantarum characteres novimus
virtutum ignari, sed hæ sunt quibus non
solum opus habemus, sed egemus. Non
me fugit ex characteribus ad virtutum co-
gnitionem regulas generales botanicos for-
mare. Omnes nempe herbas corymbo-
fas esse calidas: Capitatas esse diaphoreticas
& diureticæ; Siliculosas antiscorbuticas.
Institutum certè pulchrum est! Sed
verò quæ in charactere convenient viribus
sæ-

sæpe differunt. Si quis juxta Rajum ex notâ rhabarbari characteristicâ simili charactere insignitarum radices purgare concluderet, næ is in illâ britannicæ antiquorum veræ, cuius radix valde adstringit, se deceptum sentiret: aut si quis ex felsenos montanæ cicutæ folio virtutibus propter paritatem characteris cicutam supplicio Socratis odiosam salubrem esse decerneret, is morte errorem expiaret. Hoc Morisoniana methodus, desumptâ ab odo re ingrato & viroso specificâ differentiâ, corrigit quidem, sed in illo eundem errorum his regulis confisus erraret, qui eum fequeretur. Neutrum committeret qui Turnefortium imitaretur; sed æquè graviter alio loco peccaret, si characteri œnanthes apii folio confisus œnanthen chærophylli folio commendaret, cum illa salubris, hæc venenata sit. Ut tacem botanicos de notis characteristicis necdum inter se convenire & fateri naturam me-

thodum in omnibus non observare , sed species quasdam singulares & sui generis , alias incerti laris & ad plura genera revocabiles , producere & ideò suas methodos aliis præferre , quod paucioribus vitiis urgeantur , nec methodos absolutas polliceri . Imò unius ejusdemque plantæ diversæ partes viribus variant ; baccarum sambuci succus est diaphoreticus , earum arilli purgant ; mellago anacardiorum erodit , nucleus nutrit . Nec regulæ generalium virtutum sufficient , tunc demum quid præstitum esset , si virtutum specificarum clavem reperirent . Hic habet posteritas in quo se exerceat ! Hermetici cum philosophis ratiociniis suis & experimentis nobis dedêre theorias quæ ostentationis multùm , utilitatis parùm habent , & donec cum archeo , vel primo elemento , quorum illum Vertumno , hanc Protheo optimè comparaveris , gesticulabuntur , artem nostram parùm juvabunt . Quid denique dicam

cam de mechanicis? Tam certum est quām
quod certissimum mechanicè omnia in
nobis fieri; sed ingentibus sunt involuta
difficultatibus, machinæque hujus clostra
revellere dictu quām factu facilius est.
Machina est, quæ si corrumpatur forcipi-
bus, limis, scalbris cæterisque reficien-
da, vectes cuneique adhibendi, quod
quām arduum sit claustrariorum exemplo
discimus, qui vel simplicissimam seram
omni clavium adulterinarum apparatu sæ-
pe referare nequeunt. Horariorum vi-
tia, licet per partes seponantur rotæ, nec eli-
mando, nec perpoliendo inveniuntur, aut
corriguntur. Morborum causæ loco mo-
vendæ vectis applicetur; cum nesciveris
vectis soliditatem, longitudinem, hypo-
mochlii locum, vasis cōercentis resistendi
momentum, à nullius potentia applicatione
certi quid tibi spondebis, vel nimiū,
vel non movebis, successu irrito, vel no-
xio, & solo casu felici. Qui enim vitio
cal-

calculi oriuntur errores, utut sint in principio levissimi, quo longius ille protrahitur, eo fiunt majores. Unus vel alter ingenio valens theoriam mechanicam præclarè fundabit; at verò cum illa corpori applicanda, multitudo observationum requiritur. Sed unde has? Nulla sunt antiquitatis monumenta si Hippocratem excipiamus; ab eo ad Galenum usque altum est silentium, qui & ipse sparsim saltem historias intermiscet; nec planè nobis constat an usque ad seculum decimum quartum annotatae fuerint, si fuerunt, certè perierunt; eo enim demum Gentilis Fulginas & Marsilius consultationes scribere cœperunt; quos decimo quinto Cermisonius, Montagnana, Bencius, Mattheus de Gradibus; decimo sexto Benivenius, Benedictus, Dodonæus, Fernelius, Montanus, Valleriola, Trincavellius, Solenander, Wierus, Merculialis, Gemma, Alexander, Rulandus, Forestus, Scholtzius,

zius, Schenkius, secuti sunt. Totaque res demum elapso seculo cordi habere cœpta est, quo plures observationes notatæ sunt, eoque fine integræ societates cōive-re, ut veteris ævi neglectus abundè pen-satus esse videatur. Verùm quoties eas e-volvo tabellis in honorem hujus vel alte-rius sancti propter servatos ægros in tem-plis ex voto suspensis similes mihi viden-tur, quas juxta si ponerentur quoties spe exciderunt, priores nullo numero forent. Certè res non levis est observationes scri-bere, ad quod negotium licet omnem ad indagandum dexteritatem & in dignoscen-do judicium afferas, sæpius tamen errabis. Sed imperitissimus quisque hic nihil non audet. Qui judicio pollut, illas ad sua-rum hypothesium præjudicia torquent; ut, si Cardanus causam errorum in me-dicinâ esse dixit, quod qui speculantur non medentur, ego sustineam esse, quod qui speculantur juxta speculationes medentur

& observationes iis corruptas nobis exhibent, nec suis laboribus nisi monstruosas observationes dignas judicant; quæ si popularium morborum forent, eorumque historiam simplicissimam exhiberent, benè esset, nec minùs ex infelicibus quàm optatis successibus erudiremur. Verùm tantum abest, ut, si quando peccaverint, errorem agnoscant, quin id potius agunt, ut terræ mandetur. Sed quis nisi nimiâ sui fiduciâ plenus se nunquam aberasse dixerit? Qui intuetur prodigiosam corporis structuram & novit minimum sæpe à statu naturali recessum morborum mortisque causam esse, is facile largietur eam vel nullis, vel æquivocis indiciis se exhibere extraque divinationem poni: nec mirum, cum illa, quæ inter manus oculosque nostros versantur, teste hodierno die inter primi ordinis atomicos de catarrhaâ contestatâ lite, determinari nequeant. Res planior foret, si annotatâ morbi historiâ

judicium formatum & applicata remedia ascriberentur, & post mortem inciso cadavere, cum iis, quæ in eo comparent, conferrentur. Hâc, non aliâ, viâ praxis medica elaboraretur: quod optare quidem, sperare vix ausim.

Videtis A. O. O. H. quo loco artis meæ res sint, quot tempestatibus illa elapso seculo sit concussa; quomodo spumantibus fluctibus errorum ingenia fuerint delectata, torosi crispique fluctus nondum subsidant, vix tempestatem patiamur, aut in anchoris commoremur, in alto navigemus longitudinis ignari circa polum oberrando plenissimis licet velis circulum describamus. Jam quantum laboris & spei reliquum sit vel me tacente noscitis. Vah! Quantum est quod nescimus.

J A T I O

infectio in locutione & appellatione, incommoda
speciebus, & locutione inciso, ex-
cavato, cum illis dies in eis comparsus
conveniens. Hec non sibi, sed in praes-
medicis operari: duplo obiectis dividet
peritudo & salutem.

Videris V. O. H. duo loco istis mes-
tis sibi, duos templa tauri illis electis 15.
cum illi concubis: duos obiquiis
singulis circum inuenit tenuitate delectata
totius curiositate taurorum impudicac-
ax taurorum puerum, ut in seculo-
us puerorum, in his nubigenis non-
nudum iugis circa polum operari
brevissim, ite velis circum desolaris per-
miserit, sum dumum leporis & levi-
dum in agro ruricimo. Ash 1

D I X I

